

**Disputatio medica inauguralis de mensium defectu / quam ... praeside Olao  
Borrichio ... publico eruditorum examini submittit Johannes Justus Böhme  
... Anno 1684.**

### **Contributors**

Böhme, Johannes Justus.  
Borch, Ole, 1626-1690.  
Københavns universitet.

### **Publication/Creation**

Hafniae : Typis Joh. Philip. Bockenhoffer, [1684]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/h8htyazp>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

*De*

# MENSIMUM DEFECTU;

*QVAM*

## DIVINI NUMINIS AUXILIO,

Consensu & Autoritate

Amplissimæ Medicæ in Academia Regia Hafniensi

Facultatis,

*P R Ā S I D E*  
VIRO

*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET EXPERI-  
ENTISSIMO*

# DN. OLAO BORRICHIO,

Medic. Chemiæ, & Philolog. Professore Publ. &

Ordin. Celeberrimo,

Pro

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRI-  
VILEGIIS DOCTORALIBUS

ritè & solenniter conseqvendis

*Publico Eruditorum Examini submittit*

# JOHANNES JUSTUS BÖHME,

Osterodensis Saxo,

Die Maji, Anno 1684.

*In Auditorio Superiori.*

HAFNIAE, Typis Joh. Philip. Bockenhofer, Reg. Maj.  
& Universit. Typogr.

*In Doctissima hac de mensium defectu  
dissertatione nihil animadverti,  
quod legibus patriis aut honestati  
repugnet; quare typis eam excudi  
posse*

*censui*

E. BARTHOLINUS.

**PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO**

**DN. JOACHIMMO HENRICO  
DE BÜLOV,**

*Hæreditario & Domino in Abbensen,  
Falkenberg, Seeltze, Goddensted,  
& Huderode, &c.*

**EQVITI AURATO ORDINIS  
DANNEBROGICI,**

SAC. REG. MAJEST. DAN. ET NORWEG.

**REGINÆ MATRIS  
CONSILIARIO INTIMO, ET  
SUPREMO MARESCHALLO.**

ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO  
DOMINO  
**DN. THOMÆ**  
**DE GROTE<sup>N</sup>,**  
*Hæreditario & Domino in Vret-  
sted, &c.*  
**SACR. REG. MAJEST. DAN. ET**  
**NORWEGIÆ**  
**GUBERNATORI , ET PRÆ-  
FECTO PROVINCiarum FALSTRIÆ  
ET LALANDIÆ.**  
**Dominis, Patronis & Promotoribus**  
**suis maximis**  
**Dissertationem hanc Inauguralem**  
**animo observantissimo**  
**offert**  
**Johannes Justus Böhme.**



## PROOEMIUM.

**P**A sanè partium omnium machinam corporis nostri hydraulico-pneumaticam constituentium artificiosa est structura, ut in ea perscrutanda ingeniosissimi quoq; viri adhuc satis exerceantur. Qvotcunq; verò harum deprehenduntur, omnes tamen vel in sola consistunt textura, vel in perpetuo versantur motu : hinc illæ vocantur solidæ, hæ verò impetum facientes & fluidæ. Qvamdiu hæ partes benè sunt dispositæ, res est in salvo, totumq; corpus integra gaudet valetudine ; earum verò si una à naturali suo statu degenerat, heu ! qvot & qvam atroces exsurgunt calamitates, imò vacillant, & ruinam sæpius minantur omnium actionum principia. Hunc in finem contemplari licet automaton, cuius rotula à pulvisculo casu il-lapso in motu impeditur, vel cuius alia qvædam pars optimè polita rubiginis sordidæ tantillo inficitur : qvicq; vid horum acciderit, necessariò artifi-

ciosum tale opus à regulari suo motu deficit. Nullum præ nostro corpore artificiosius existit automaton, cuius particulæ etiam exilissimæ ut tam sapienter sunt fabricatæ, & mirum in modum sibi invicem connexæ, ita innumeris toto die corripi possunt vitiis, ut mirum videatur, illud vel per horæ momentum citra morbosum qvendam affetum subsistere posse. Consideremus saltem hac vice massam sanguineam, à cuius motu legitimo omnes corporis nostri dependent actiones, imò tota vita. Ille verò motus deprehenditur duplex, unus localis seu progressivus, alter intestinus. Localis est totius molis liqvidæ per suos tubulos & ductus translatio continua, cuius respectu cordis musculus antliæ vices gerit, pellendo sanguinem per arterias ad totam œconomiæ animalis peripheriam, & rursum per venas ad suum centrum; hinc ille motus in circulum factus circulatio qvoq; vocatur. Intestinus ille secundus est corpusculorum minimorum liqvorem illum vitalem constituentium motus perpetuus, & reciprocus, qvi non tantum in consistentia debita eundem conservat, sed etiam fermentationis tam naturalis, qvàm præter naturalis existit origo. Motum hunc sanguinis experitur in primis sexus fœmineus nostri generis huma-

humani, ubi à tempore pubertatis singulis mensibus aliquvalis sanguinis quantitas per arteriosa uteri vasa excernitur partim ad sui ipsius conservationem, partim ut cedat in nutrimentum fœtus. Excretionem hanc à fermento quodam uterino procedere, plurimi sibi persuadent: cum autem ejus existentia nondum demonstrari potuerit, non possum non tale cum Clariss. Peyero negare, qui hac de re cum Celeberr. Hardero fusius egit Exercit. Anat. Med. V, VI, & VII. Qvod autem præcisè menstruo tempore hoc tributum solvant, adscribendum est particulis actuosis & pugnantibus eo tempore in massa sanguinea accumulatis, quemadmodum non raro videamus, viros quospiam periodicas pati hemorrhagias, vel alios fluxus, idq; non alia ferè ex causa quam ob sanguinis intestinam luctam tum temporis majorem. Menstruum hoc vegetal de totius corporis fœminei vigore testatur, quod si deficiat, plurimis symptomatibus, iisq; saepius crudelissimis porta aperitur. Hæc dum altiori cogitatione volverem, non lusurum me operam putavi, si hunc Mensium Defectum latius sub præsentis Dissertationis schemate diducere, hincq; Praxi ejus annectere pro ingenii quidem nunc modulo anniterer.

Faxit clementissimum Numen, ut cedat

FELICITER!

## §. 1.

**M**ensium Defectu qvid indigitare velim, cuvis facile perspicere licebit, qui noverit quod per *Menses* in foro Medico nihil aliud denotetur, quam illa sanguinis excretionis, quae singulis mensibus in sexu foemineo contingere solet, quamq; *Græci* apprimè exprimunt per *natauram*. Aliis hic morbus *Suppressionis* nomine venit: cum autem significatio ista mensibus, qui actu jam fluxerunt, competit, æquivalerationis hujus evitandæ ergo convenientius esse videtur *Defectus* nomen.

## §. 2.

In genere hæc denominatio accipitur pro omni *Mensium Defectu* tam naturali, quam præter naturali. Ille pro causarum varietate est varius. Retardantur enim naturaliter menses (1) ratione ætatis, ubi in virginibus puellis ante decimum quartum annum menses raro prodeunt; in Sene- scentibus post annum quadragesimum nonum ferè ordinariò iterum cessant. Observationes quidem prostant, quod in aliis citius, in aliis tardius extra naturæ consuetum ordinem fluxerint: Hinc puellam quatuor annorum mensium fluxum expertam esse testatur *Tulpius lib. 3. Observ. c. 36.* de octono autem menstruo historiam profert *Fernel. l. 6. Pathol. c. 16.* Imò sunt, quibus in summa etiam ætate hic sanguis debito modo profluit, quod ipse ante duos circiter menses in foemina sexagesimum septimum annum agente observavi. Illa tamen exempla valde rara sunt, & à peculiari subjecti constitutione proveniunt, cum juniores, alacriores, spirituosæ, habitiores, diæta lauta utentes, salaci- ores citius patiantur hunc fluxum. (2) Menses naturaliter retinentur in gravidis & lactantibus, licet interdum quædam inveniantur, in primis plethoricæ, quibus sine periculo statis-

tem-

temporibus adhuc profluant, de quo Schenckius l. 4. observ. videri potest. (3) Inhibet mensum fluxum naturaliter materiae minor quantitas, quod in primis evenire solet illis, quae validioribus exercitiis & laboribus sunt deditae, vel quae morbo quoddam graviori, seu acuto, seu chronico laborarunt; cum enim in his serum, ut necessarium sanguinis vehiculum, tum per insensibilem transpirationem, tum per sudorem sit depauperatum, saepissime menses emanere solent, quod similiter contingit, si aliæ sanguinis extraordinariæ evacuaciones præcesserint.

## §. 3.

In specie sumitur pro *Mensum Defectu præter naturali*, in quo materia jam apta, ætateq; satis conveniente proptet varia impedimenta & obstacula sanguis ille menstruus emanet, vel licet jam fluxerit, subsistat aliquamdiu, & quidem interdum ad satis longum tempus. Hic est, de quo in præsentiarum sum acturus. Ut verò in ejusdem essentiā eò penitus inquiri possit, illius præcipua phænomena consideranda prius esse, necessarium duco.

## §. 4.

Innumerabilem itaq;, si dixerim, calamitatum esse exercitum, quem sequior sexus experiri solet, si sanguinem tempore menstruo eliminandum retineant, minimè me erratum existimo. Omnium tamen familiarissimè conqueruntur de nauseabundo ventriculo, qui non solum omnem ferè respuit cibum, sed saepius insveta appetit, & plurimis ructibus corripitur. Superveniunt his interdum vomitus tam ingestorum, quam liqvinum flavescentium, viridium, viscidorum, crassorum, tenuium, &c. sub quo vomendi desiderio ægræ ingentibus excruciantur doloribus. Percipiuntur præterea dolores acerbissimi, gravissimè lacinantes

& pungentes, interdum simul distendentes & vehementer vellicantes, qvi non solum totum abdomen occupant, sed & ad genitalia excurrentes parturientium dolores ferè imitantur, hinc ad lumbos dorsumq; reflexi tandem disparent, successivè denuò recurrentes. Apparet in qvibusdam manifesta abdominis intumescentia; videatur hanc in rem *Poterius*, qvi Mensium Defectum una cum Ascite & Lienteria observavit *Cent. 3. Cur. 44.* Ad sociat se tumor palpebrarum œdematosus, qvi etiam ferè non semper pedes & quidem circa malleolos affligit. Lassitudo succedit artuum, imò totius corporis gravitas. Pulsus deprehenditur rarus & debilis. Urinam ut plurimum pallidam, crudam & arenosam, subinde qvoq; flammeam emittunt. Maximè verò afficit respiratio inæqualis, profunda, suspiriosa, in primis ubi loca paulò accliviora ascendere volunt. Sangvis fæpiissimè in aliis partibus exitum qværit; hinc per mammorum papillas, per umbilicum, per vesicam se exonerat, non raro qvoq; per nares, os, oculos & aures, & nescio qvæ loca alia impetuofè proruit. Corripiuntur interdum inflammationibus partium tām internarum, qvām externarum. Cor ipsum palpitare, arteriæq; ad tempora gravius pulsare incipiunt. Vehementius hinc urgent dolores dentium & capitis immanes, qvi vel anteriori, vel posteriori parti inhærent, jam adsunt pulsantes, jam gravativi. Ingruit animi deliquium, & presso pede nonnunquam seqvitur Syncope. Ad somnum valdè sunt proclives, amplexum autem veneorum minus cupidæ. Floridus corporis color vitiatur, præcipue verò in genis & labiis pristinæ formæ gratia perit, tota facies ex viridi & flavo palleficit, & tantum non ex sangves redduntur; hinc Ictero eas qvoq; corripi, annotarunt *Henricus ab Heer Obs. 6, Bartholinus Cent. 5. Histor.*

62. imò scabies nonnunquam tenerimam aliàs cutem non minori cum molestia deturpat. Cerebrum tentatur vertigine, cui plerumq; oculorum corruscatio, inversio, aut rotatio supervenit. Afficiuntur delirio, & affectibus melancholicis. Horrendis non minus excentur motibus convulsivis & spasmodicis; alias enim stridor dentium corrigit, aliæ gulam laqueo quasi constringi sibi imaginantur. In ipsam tandem hos motus degenerasse Epilepsiam tum observationes Medicæ sugerunt, tum ex Praxi quotidiana non est ignotum.

## §. 5.

Enumeratis itaq; plurimis phænomenis, qvæ ex *Mensium Defectu* tanquam genuino suo fonte frequentissimè propullulare solent, inquirendum nunc est, qvodnam sit *Subiectum*, vel qvænam pars in hoc affectu præ reliquis afficiatur. De hac eò certiores fieri possumus, si ex *Physiologicis* in animum revocetur, qvonam modo mensium fluxus naturalis contingat. Illum à Massæ sangvineæ motu intestino, sive ejusdem ὅρμησις dependere, supra jam tum in *Proæmio* est propofitum. Cum verò motus talis parùm efficere valeat, si viæ non adsunt patulæ, per qvas lunare illud tributum excerni debeat, examinandus est uterus, qvi ad hanc actionem vias tales suministrat.

## §. 6.

Quem in finem non est, ut omnes uteri partes pervestigem, cum hoc non sit res mei instituti : Uterus enim structura sua admiranda Anatomicorum manus & ingenia tantoperè hactenus exercuit, ut nullus etiam locus in eo superfit, qvi non sive cultellorum, sive ingeniiorum acie sit tactus. Est verò in tantum ejus consideratione hic opus, quatenus est corpus ex copiosissimis fibris nerveis constru-

ctum, & hinc ipsi cum reliquis partibus nervosis maximus intercedit consensus. Constat porrò, ipsum vasculis tam lymphaticis, quam sanguiferis arteriosis & venosis esse praeditum, quae serpentino, vel flexuoso ductu per ejus substantiam excurrunt. In illam propaginem nerveam si spiritus animales debito modo influunt, nec vasa arteriosa in conformatione sint vitiata, turgescenti sanguini patet exitus & menses legitimè procedunt. An verò per uteri, vel ejus vaginæ arterias sanguis ille exeat, Autores inter se dissentunt; cum autem copiosiora vasa circa uterū, quam ejus vaginam existant, aliæq; rationes adsint, quæ per uteri vasa ut plurimum sanguinem menstruum naturaliter prodire persuadent, nos quoq; huic sententiæ subscribere non dubitamus; licet non negemus, quod interdum etiam pro accidentium varietate per vaginæ vasa sanguis ille eliminetur. Ex quibus luculentter patet, non solū massæ sanguineæ motum intestinum, sed etiam uteri structuram naturalem ad mensium fluxum absolvendum requiri. Hinc si ille deficit, facilè cuivis colligere licet, quod vel in sanguine, vel in utero, vel in utroq; simul vitium latere oporteat, adeoq; duplex hujus morbi Subjectum debere constitui.

## §. 7.

Cognito Subjecto progressum facimus ad *Causas*, quæ effectum illum præter naturalem producunt. Illas methodo recepta distingvimus in proximas & remotas. Causæ proximæ ratione duplicis Subjecti sunt duplices, aliæ enim sanguini, aliæ utero in hærent. Considerabimus itaq; primò massam sanguineam, quæ proximè hoc malum producit, si illius motus intestinus imminuatur aut deficiat ob particularum sanguinis activarum, spirituosarum nempe, & sulphureo-salinarum volatilium penuriam, aut earundem iner-

inertiam. *Illud* contingit, *vel* qvia tales particulæ non sufficienti copia generantur, *vel* qvia per evacuationes sensibiles, aut insensibiles præter modum, qvacunq; etiam ratione fiat, absumuntur. *Hoc* verò vitium exoritur (1) Si particulæ Sulphureo-Salinæ volatiles in sanguificatione non ritè exaltantur & evolvuntur, hinc non solum minus subtile & agiles evadunt, sed & earum locò, partium serosarum, aquarum, adeoq; inertium emergit abundantia, qvæ deinde crassescunt, & in massam viscidam ac glutinosam coëunt. (2) Licet debito modo tales sint productæ, aliis tamen heterogeneis, viscidis nempe, crassis, terrestribus, maximaq; ex parte acidis & austoris majori copia obruuntur, & supprimuntur, adeò ut his compedibus injectis ad activitatem suam exercendam minus aptæ existant.

## §. 8.

Multum momenti hinc situm est, qvalis sc. chylus in primis viis elaboretur, cum fontalis stomachi digestio rectè gubernatrix cæterarum velut sibi subalternatarum dicatur ab *Helmontio Tr. Jus duumviratus* §. 59. Unde, si alimenta convenienti modo assumuntur, assumta legitimè dissolvuntur, laudabilis seqvitur chylus, optimiq; sanguinis fit generatio. Qvando verò in ventriculo & intestinis non ritè evolutæ sint particulæ alimentorum subtiliores volatiles, acidus & viscidus evadit chylus, qvi massæ sanguineæ infusus in humorem crudum & aquosum diluitur; sanguis exinde in convenienti sua textura planè immutatur, minusq; fluxilis & mobilis, sed potius firmior, tenacior & crassior æqvabili motui intestino ob particulas salinas in primis volatiles urinosa abundanti contrario acido depresso ineptus existit, indeq; minus spirituosus, sed torpidus & semicoagulatus circularem motum tardiorem efficit, ut non tam

promptè per exiles sanguiferos canales trajici queat, unde *Mensium Defectum* exoriri necesse est, quem hinc plurima alia concomitantur symptomata. Sangvis enim ille crassus in minutissimis pulmonum vasculis subsistens vesiculas earum comprimit, ut sufficiens aëris quantitas illabi nequeat, hinc presso pede respirationis sequitur difficultas. Cordis verò ventriculis adhærens viscosus sangvis, lymphæq; refluæ acor fibras ejus irritans cordis musculum ad crebrem contractionem & palpitationem cogit.

## §. 9.

Acidarum in primis particularum in massa sanguinea confluxus & coacervatio malum semper gravius & pertinacius reddit. Hæc quippe serum rubicundi illius nectaris perpetuum vehiculum per texturæ mutationem non alio modo coagulant, quam si extra corpus illud, quod sanguini venæ sectione emissio supernatat, promptè in crassamentum viscosum quasi caseofsum à spiritu Nitri coagulabile existit. Sic superfluum illud acidum condensando & glutinosius reddendo serum reliquas spirituosas sanguinis particulas suppressit, quo minus energiam debitam exercere possint, sed virium plerumq; languor succedat. Inde etiam non solum minor, sed & vitiosa spirituum animalium fit generatio, cum enim non tam subtiles & mobiles, sed fixiores existant, motusq; inordinatus ipsis saepius imprimatur, ægræ tales ut plurimum evadunt tristes, animiq; defectu corripuntur, quem temporis successu Melancholia tandem subsequitur. Quando serosæ particulæ è massa sanguinea per glandulas congregatas separatæ in peculiaria vasa recipiuntur, lympham, ut ex *Physiologicis* notum est, constituunt: Hæc cum itidem lenta, viscosa, plurimisq; particulis acidis inquinata sit, in reffluo versus superiora motu præcipue impedi,

peditur, & in tenerioribus partibus restagnat, unde in pedibus, cruribus, artuumq; extremitatibus tumor cœdemosus observatur.

## §. 10.

Non autem solum serum, sed etiam rubicundi liqvoris partes, Sulphureæ in primis, in textura sua ab acido illo præter naturali, eiq; variis aliis admixtis particulis variè immutantur, qvæ serosis viscidis involutæ tām in glandulis subcutaneis, qvam vasis capillaribus ad extremam cutis peripheriam excurrentibus subsistunt, succumq; illum, subcuticulare reticulum oblinentem, sua prava tintura inquinant, ut priori florido, oculisq; jucundissimo colore penitus ferè extincto, pro varia hinc radiorum lucis reflexione modò hic, modò ille color fœtidus in superficie corporis exhibetur. Cuticula enim in hoc negotio saltēm se habet, ut simili utamur *Pechlini de Habitu & Colore Æthiop. c. 15. p. 160.* instar vitri lamellæ, qvæ pellucida magis, vel opaca picturis imposita harum chromatismos itidem lucidiores, vel obscuriores refringere solet. Acidæ hæ tandem particulæ acriores interdum factæ si per localem sanguinis motum ad partes membranosas, copiosisq; fibris nerveis instructas deferuntur, iis inhærentes spicula sua infigunt, easq; irritando heu! qvantos motus inordinatos in machina illa corporea excitant, ubi modò passionibus hysterics, modò aliis convulsionibus epilepticis miserrimæ illæ ægræ excruciantur.

## §. 11.

Radices autem hujus mali ut plurimum in primis viis latitare, non solum molestissima illa indigitant symptomata superius partim enumerata, ubi ægræ præter atroces præcordiorum angustias & anxietates, ventriculi inflationem, ingratos ructus, murmura, & borborygmos patiuntur, qvæ in pri-

in primis incrementum capere solent, si alimenta consistentiæ viscidioris, nimiaq; quantitate acida assumuntur; verùm etiam ex juvantibus hoc colligere licet, cum in hoc affectu ut plurimum ab evacuandis & corrigendis primis viis incep-ta cura felicem experiamur progreßum & eventum.

## §. 12.

Progradimur jam ad alteram causam proximam, qvam in uteri substantia latitare superiùs asseruimus. Hæc nihil aliud est, qvam nimia viarum angustia. Posito enim, massam sangvineam in crasi sua optimè esse constitutam; si verò viæ, per qvas hic menstruus fluxus eliminandus est, minus sint apertæ, impedimento sunt, qvo minus ipsi liber pateat exitus. Illæ autem sunt *vel* adducentes, *vel* emittentes. Per adducentes vias vascula sangivifera arteriosa intelligo, qvæ qvovis modo coarctata sangvinis fluxum prohibent. Contingere verò hoc potest vel à pinguedine, vel cicatrice, vel à tumore qvodam præter naturali partium circumiacentium, scirrho nempe, vel inflammatione vesicæ, aut intestini recti. Sic ex fibrarum uteri constrictione nimia hoc malum provenit, ubi pori & vasa adeò angusta redduntur, ut sangvis, licet exitum affectet, per eorum exilitatem permeare & egredi non valeat, sed regurgitare cogatur; hinc nimum turgescens per alia conventiora loca egressum sibi parat v. g. per vasa hæmorrhiodalia, per vomitum, per nar-es, &c. Facilè exinde colligere licet, qva de causa puellulæ primo pubertatis tempore qvam sèpissimè hoc affectu corripiantur, cum sangvis hic locorum nondum prodierit. Massæ sangvineæ vitium hic qvoq; concurrit, si illa plurimis partibus crassis & viscidis, ut supra dictum, est referta; hæ enim exilibus uteri tubulis sangiviferis subsistentes & sensim, sensimq; cumulatæ eos obstruunt, qvo sangvis exitum invenire nequeat.

## §. 13.

## §. 13.

*Emissentes viæ vagina & collum uteri dicuntur, quippe horum angustia quælibet sanguinis fluxum cohibere nemo dubitabit. Observatur autem talis vel à primo ortu, ut in atretis, seu imperforatis, vel à quacunq; causa alia, vulnere nempe, ulcere, scirrho, &c. Sic ab uteri gangræna & collo contorto crassissimo mensium fluxum cessasse refert Rumlerus Obs. 55. Ab ulcere historiam narrat Benivenius de abdit. sanat: & morb. causis cap. 31. de muliere, cui lues venerea matricem eroferat, & Medici incuria, quicquid erosum fuerat, oris invicem conjunctis, occalluerat. Plura ejusmodi exempla adducere nimis prolixum foret, quæ sat superq; apud Observationum scriptores curiosus lector inveniet.*

## §. 14.

*Expositâ causâ proximâ ulterius inqvirendum erit in remotas ad Mensum Defectum disponentes, quæ sunt res non naturales, inter quas primum locum obtinet aëris. Quanta ejus sit necessitas, quanta vis in corpus nostrum, quanta vel commoda, vel incommoda suo nobis influxu conferat, memorare non est hujus loci. Breviter saltim attingam istas ejus qualites, quarum in mensum defectu procreando ratio quodammodo haberi debet. Hoc igitur respectu eum culpo, si existit nimis frigidus & crassus. Hic enim vel pressura sua in pulmones irruens, & sanguini admistus vario modo alterare eum potest, præprimis motum ejus intestinum impediendo per particularum aquarum & acicidarum commixtionem; vel corpori circumfusus fibras cutis adeò constringit, quod glandularum subcutanearum pori minus sint patentes, sed insensibilis transpiratio pro inutilium partium è massa sanguinea segregatione corpori maxi-*

mē necessaria valdē imminuatur ; vel uteri fibras ejusq;  
vasa sanguifera in extremitatibus coarctando sanguini libe-  
rum exitum non admittit, qvod facile evenit , si aer frigidus  
vestibus non benē munito abdome suscipiatur, aut si nudis  
pedibus in pavimento incedant , aut pedes aquæ frigidæ im-  
mittant, mensium in primis fluxu instantे.

## §. 15.

*Assumpta* porrò hac in re multum conferunt quantitate  
& qualitate nociva : Si enim fœminæ nimium gulæ blandi-  
untur , ut plus ingurgitent , qvam ventriculi menstruum  
efficaciâ suâ dissolvere, & in chylum laudabilem convertere  
possit, alimenta maxima ex parte abeunt in massam crudam,  
viscidam, qvæ ad massam sanguineam translata eam necessa-  
riò corrumpit. Notum enim est ex Chemicis , qvod inter  
rem solvendam & menstruum solvens certa requiratur pro-  
portio, qvod etiam hic non est negligendum. Qualitatem  
assumtorum qvod attinet , nihil magis mulieribus noxiū  
esse experientia testatur , qvam largius ingesta acida, & ex  
his parata omnia acetaria. Confinia his sunt ea , qvæ ex  
particulis terreis acido mixtis constant , & in lingua statim  
austeritatem suam produnt , sive sint ipsa medicamenta ta-  
lia, intempestivè, aut cum regimine incongruo adhibita, sive  
alimenta immodicè usurpata, ut vinum austерum , fructus  
crudi, præsertim poma austera, mespila, sorba, &c. Referenda  
huc sunt omnia , qvæ firmioris & compactioris sunt consi-  
stentiæ , qvalia sunt omnia nimis salita, & fumo indurata,  
item pingvia, viscida & glutinosa , v. g. panis non exactè  
coctus , placentæ à furno adhuc calentes, similiaq; ciborum  
genera. Qyo spectant etiam fructus horarii aquositate ni-  
mia scatentes , ut melones, cucumeres ; item potus aquæ  
frigidæ & cerevisiæ non benē defecatæ. Omnia namq;  
hæc

hæc vel menstrui ventriculi efficaciam eludunt, vel si ab ipso sint dissoluta, cimergit tamen inde chylus crudus & acidus; quid igitur mirum, si errata primæ digestionis in nulla alia corrigi queant, sed maiæ sangvineæ cras in invertendo mensum fluxum cohibeant?

## §. 16.

Cum motus & exercitium corporis legitimum sanitatis præservativum sit, cuius beneficio sangvinis motus localis & intestinus, spirituumq; volatilium productio augetur, unde assumtorum distributio, & heterogeneorum separatio optimè procedit, quod rusticorum & mechanicorum gens, præ aliis sana, toto die confirmat; ita somnus immoderatus, & quies nimia, quando graviorum perturbæ laborum puellæ vitam sedentariam amant, diuturnis in specie ægritudinibus fenestram aperit, varias excrementitias particulas in corpore colligendo. Motus verò talis si non sit moderatus, sed plerumq; nimius instituatur post pastum à virginibus in choreis ducendis, assumta citius quam in chylum debitum conversa sint, è ventriculo & hinc per intestina & chylifera vasa ad massam sangvineam propelluntur.

## §. 17.

*Excreta* quoq; Symbolum suum hic conferunt sive sint pauciora, quando recrementa massæ sangvineæ non sufficienter sub urinæ, vel sudoris vehiculo eliminantur; sive sint nimia, cum particulæ serosæ utiles, & cum his spirituosæ præter modum absuntur. *Affectus* tandem animi maximam alterandi & afficiendi vim habent in seqviori sexu, qui ut plurimum iis maximè indulget; hi enim spiritus conturbando aut concentrando sangvinis motum maximè remorantur. Veneris præsertim desiderium, longasq; inducias fervens juvencularum sanguis ægrè fert. Tristitia, an-

xiæ & profundæ cogitationes , terror subitaneus mensibus pessulum de facili obdere possunt ; qvod virginis menstrua patienti,dum improviso humili prosterneretur, veritæ, ne naturalia detexisset,pro pudore accidisse,ipse mimini.

## §. 18.

*Signa* qvod spectat *Diagnostica*, illa ex superius recensita morbi historia luculenter patent , ægræ tamen confessio & relatio in star omnium est signorum. An verò ex vitio massæ sanguineæ,vel vasorum uteri hoc malum acciderit, meritò est considerandum. Colligere hoc licet ex sanguine aliis locis prorumpente v. g. naribus, vasis hæmorrhoidalibus &c. qvod omnium maximè contingit in juvenculis , qvæ hunc fluxum nondum sunt expertæ. Qvando verò illæ , qvibus menses actu jam antea prodierunt, hoc affectu corripiuntur,& huic supra recensitorum symptomatum qvædam succedant,massæ sanguineæ vitium in culpa esse, non est dubitandum. Probè hic erit observandum,qvod meretriculæ gravidæ sæpius conquerantur de *mensum defectu* , & per hujus curationem à conceptu sese liberare studeant. Cautè tunc agendum est Medico , ne fallatur , suamq; famam, omnemq; existimationem perdat. Facilè tamen hoc diagnosci potest, si benè perpendantur conjuncta symptomata, ubi variis qvæstionibus institutis miseræ tales citius se produnt.

## §. 19.

*Eventum* morbi symptomatum vehementia major vel minor, functionumq; læsio gravior,leviorq; , & morbi variæ causæ determinabunt. In universum autem censi potest, *prognosin* hujus affectus non absolutè esse lethalem,nec semper etiam ad salutem tendere. *Hippocr.* qvidem lib. I. de *morb. mul.* exiguum affert solatium illis ægris, cum omnem

men-

mensum suppressionem, qvæ ultra sex menses duraverit, incurabilem existimat. Cui assensum præbet Roder. à Castro  
*L. I. de morb. mul. c. 3.* Huic autem effato tum ipsa refragatur experientia, cum propria observatione annotaverim virgines aliquot per biennium ferè hoc fluxu carentes, qvæ per Dei gratiam fuerunt restitutæ; tum idem autor *lib. 4.* historiam de ancilla quadam refert, qvæ per septem annos mensum retentionem passa pristinam recuperaverat valetudinem. Malum tamen est periculis plenum, non solum ob inseqventia superius memorata symptomata; verùm etiam, qvia morbi, qvibus supervenit *mensum defectus* deteriores, curatuq; difficiliores redduntur. Chronicis in primis non solent curari nisi promoteatur mensum fluxus, in hoc enim cardo sanitatis mulierum consistit, & semper in quovis morbo ad mensum excretionem respiciendum est. Licet autem morbus hic, quo magis fuerit inveteratus, eò magis etiam chronicus evadat, & maxima ex parte ille, qvi ex viarum uteri huic excretioni inservientium mala conformatio dependet: si tamen à reliquis supra enumeratis causis ortum duxerit, convenientibus remediis, legitimo tempore adhibitis, profligatur nunc citius, nunc tardius, pro ipsius individui, symptomatumq; conjunctorum differentia. Quando verò graviora mala v. g. Phthisis, vel Hydrops succedant, de recuperanda valetudine spes certa minimè affulget, sed potius sinister inde arguitur eventus.

## §. 20.

Dispiciendum tandem, qvid valeat ars operosa medentum, qvid ferre recuset. Indicationes itaq; in omni *mensum defectu* præter naturali curando observabiles qvod spectat, respiciunt hæ vel massam sanguineam, vel ipsum uterum; ubi simul non minori cura allaborandum est, ut *sym-*

*ptomatia* graviora, quantum fieri potest, præcaveantur, aut mitigentur. Si itaq; ex vitio sanguinis *mensum defectus* originem duxerit, omnium primò respiciendum est, ut sanguini motus intestinus deficiens restituatur; qvod fieri debet *Vel* augmentando in sanguine particulas spirituosas, Sulphureo-Salinas volatiles; *Vel* corrigendo earundem inertiam, & à compedibus, qvæ activitatem earum impediunt, easdem liberando. *Prius* perficitur per assumta talia, qvorum usu copiosiores particulæ activæ in sanguine generantur, qvod monobimus infra, ubi de *Diæta* agendum erit. *Posteriorius* verò obtinebimus (1) removendo fomitem, unde sanguini inutiles particulæ continuò invehuntur, morbusq; incrementum capit. (2) Alterando tales tum in primis viis residuas, tum in massa sanguinea jam existentes. (3) Easdem immutatas per convenientia loca evacuando. (4) Ipsi sanguini fortiorum motum conciliando. In genere tamen hic est notandum, qvod ægræ tales, quo benignius tractentur, eò citius soleant reconvalescere: duci enim amat natura, non pelli. Cura itidem felicius instituitur vere & æstate incipiente, cum circa illa anni tempora transpiratio insensibilis liberius procedat, humoresq; in corpore magis sint mobiles.

## §. 21.

Ut igitur morbi incrementum præcaveatur, & fomes pro multiplicatione causæ morbificæ subtrahatur, *Vomitoria* omnium optimè suum præstant officium, qvæ egregia defumuntur ex *Antimonio*, si ritè fuerint parata. Eminet inter hæc *Tartarus emeticus*, *Oxysaccharum emeticum* à *Ludovico in Pharm. p. 212. descriptum*, qvæ debito modo adhibita absq; insigni violentia, sufficienter tamen, evacuant. Præter hæc præstantissima etiam sunt *Mercurius vitæ*, *Vinum*

*Vinum emeticum*, paratum è Croco metallorum, qvi in vino acidulo infunditur, qvod hinc probè filtratum propinatur. Observandum autem, qvod sèpius *vomitoria* talia in plurimis morbis chronicis, ita etiam in hoc affectu operationes suas sèpius non exferant (1) ob mucum seu humorem viscidum ac tenacem, parietes ventriculi undiq; oblinentem, per qvam crustam mucosam cum non æq; ac facile penetrare queant spicula particularum vomitorii, fit, ut hoc in duplicita etiam dosi nihil vel parum operetur. (2) Ob acidum ventriculi præter naturale intensius figens & corrigens texturam particularum vomitoriarum; qvemadmodum hoc pariter videmus in affectibus Melancholicis & Hypochondriacis &c. unde inversa illorum textura nullus sequitur effectus. Commodum hinc erit ratione *prioris* præmittere talia, qvæ humorum visciditatem incidendo, & dissolven- do attenuant, qvatenus sunt remedia qvælibet *acria*, *Satina* tum fixa alcalisata, ut *Salia plantarum omnia*, e. g. *Sal Absinth. Cent. min. &c.* tum urinosa volatilia, ut *Spirit. Sal. ammon*; *Sal C. C. volat.* tum etiam *acido-salsa*, ut *Tartar. vitriolat*; *Sal ammon. Nitrum vitriolat*. *Cremor & Crystalli Tartari*; *Terra sol. Tartari*, *Sal digestiv. Sylvii*. Ratione posterioris verò conveniunt omnia acidum absorben- tia, & invertentia, qvo spectant omnia particulis terreis, alcalinis pollutia, ut *Conchæ præp*; *Corall. Lap. cancer*. *Testæ ovor. præparata item ex Marte inferius videnda*, uti qvoq; *Salina fixa & volatilia* jam recensita. Cum igitur in nostro affectu duo illa impedimenta non raro simul occur- rant, maximè proficuum erit, hæc duo remediorum genera conjungere, ut una qvæsi fidelia duo dealbentur parietes. Post qvæ propinatum medicamentum vomitum movens laudabilem dabit effectum. Caveat tamen Medicus, & vomi-

vomitoriis nullo modo utatur in *mensum defectu* ex uteri vitio: cum in tali statu periculum hoc subsit, ne iisdem menstruatio per vomitum cruentum superflua concitetur.

## §. 22.

Remota eo modo radice morbosa, alterandæ sunt particulæ excrementitiæ tam in primis viis residuæ, qvam eæ, à qvibus massa sanguinea est vitiata; easdem verò in primis esse particulas acidas, austeras, ponticas, & inde emergentes terrestres, viscidas & glutinosas, superius elucidatum est. Convenient itaq; cuncta acidum absorbentia, qvalia sunt in primis animalium partes duræ, cornua, dentes, ossa tam usta, qvam sine igne & philosophicè calcinata, ut *C. C. Ebur*, *Dens hippopotami*, *Maxill. Luc. pisc*; *concreta* qvoq; animalium quasi lapidea, ut *Lap. Cancr. Percar. Test. ovor. & his affinia marina*, ut *Conchæ. Mat. perlæ*. Ex regno minerali optimè hoc præstant tūm simplici modo præparata ut *Terra sigill. Bol. armen. Crystall. Lap. hæmat. Corall. Unicornu foss. Zinnab. nativa*; tūm nova exinde per ignem provenientia concreta, ut *Antimon. diaphor. Bezoard. Mart. Joviale. Bez. miner. Antim. diaphor. martiale Ludovici in Pharm. p. 330. Zinnab. Antim.* Excellit inter hæc Mars, morborum chronicorum potentissimus debellator, ut & omnia ex illo præparata in forma sicca & liquida, qvalia sunt *Limat. Mart. Croc. Mart. simp. per rorem majalem aut saltem aqua comm. paratus. Vitriol. Mart. Tinct. Mart. cum succo Cydon. vel Pom. par. Tinct. Mart. Tartarisata Ludov. in M. A. N. C. anno 3. p. 454. Tinct. Mart. Zwelff. Liqu. Mart. Solaris. Extr. Mart. Tartarisat.* Pro legitimo autem Martis & illius præparatorum usu attendum est; (i)ut habeatur ratio texturæ ventriculi in ægrotante, qvæ nunc delicata & sensibilior, nunc minus sensilis & robu-

robustior. In priori & subtili fibrarum textura *Martialia* in substantia minus convenient, sed quatenus in minima sui sunt redacta, hinc pro hoc scopo liquida preferenda siccis: in posteriori, ubi fibræ duriores quasi, in consistentia paulò crassiori propinari possunt. (2) Ne *Mars* nimium saturetur ab acido extra corpus nostrum; nam ita acidum intra corpus minus absorbet, sed in ventriculo & intestinis instar calcis mortuæ hæret. (3) Post assumta *Martialia* corpus est convenienter movendum, ut promoveatur acidi exorbitantis motus ad appropriatum magis activitatis suæ objecrum, adeoq; ab eodem promptius & uberioris ita absorbeatur.

## §. 23.

Huc porrò spectant *acidum saturantia*, & quæ particulas viscidas, indeq; enatam massæ sanguineæ consistentiam firmorem & crassorem attenuant, & incident, quælia sunt (1) *Salia fixa alcalia*, quocunq; modo calcinando ex vegetabilibus parata, ut *Sal Tartari*, & ejus liquor *oleum Tartari*; *Tinct. Tartari*, *Sal Absinth.* *Artem.* &c. hæc quo magis talia, eò magis acidum saturant, & hinc in *Sal falsum* mutata egregiè viscida incident atq; attenuant, simulq; *Diuretica evadunt*; quem scopum non minus obtinebimus per *Salia* ex acido & alcali composita *Salsa*, ut *Sal ammon*; *Flor. Sal. amm. simpl.* & *Martiales*, *Arcan. dupl.* *Myns.* *Sal digest.* *Sylvii*, *Cremor* & *Crystalli Tartari*; *Tart.* *Tartarisatus*; *Arcan. Tartari*; *Terra fol. Tart.*; *Tartar. Vitriolatus*, sed non communi modo ex Spiritu Vitrioli, verùm ex ipso Vitriolo soluto modò Tachenianò paratus: *Vid. hujus Clavis ad Hipp. Chem.* (2) Omnia *Salia volatilia urinosa* in forma sicca & liquida, tām macra, quam temperata, seu oleosa, ut *Spir. Sal. ammon. simp.* & *compositus*, e. g. *Sal vol. oleos. Sylv.*; *Spir. Sal. ammon. succinatus*, *anisatus*, &c. *Spir.*

*Ebor. Fulig. C. C. Sal. vol. C. C. Succini,* & inde proveniens egregius *Liqvor C. C. succinatus*, *Spir.* & *Sal Tartari* vol. in primis qvi ex fecibus vini prolicitus, benèq; rectificatus, vel qvi ex *Tartaro* cum proprio alcali fermentato instar *Spirit.* *Sal. ammon.* subtilis elaboratur: Pertinent huc omnes *Spiritus vegetabilium urinosi* per putrefactionem parati. Hæc & similia acidum qvam optimè destruunt, suisq; particulis rigidis penetrantibus, & parvorum gladiorum cuneorumve instar fidentibus viscida attenuant, incidunt, firmiterq; cohærentia separant, unde qvoq; massæ sanguineæ excrementa modò per sudorem, modò cum urina è corpore eliminant. (3) *Vegetabilia* & *Gummata*, qvæ sapore plus minus acri vel amaricante se commendant, crasimq; habent in sale volatili plus minus oleoso consistentem, ut *Rad. Ari*, *Acori*, *Angelicæ*, *Galangæ*, *Zedoar.* *Bacc.* *Junip.* *Herb.* *Absinth.* *Cent. min.* *Cochlear.* *Meliss.* *Menth.* *Rosmar.* &c. Inter Gummata verò resinoosa videlicet, hic eminet *Gumm. ammon.* egregiè viscidi incisorium, sive qvoad totam substantiam, sive resinosam saltem sub *Tinetur* nomine exhibeat: illud contingit, qvando in menstruo acidulo fuerit solutum, hoc verò, qvando mediante *Spir. vini Tartarisato*, vel *Tinet. Tart.* acri resinoosa tantum substantia extracta fuerit. Succedunt huic *Myrrha*, *Alöe*, & omnia ex his variè præparata, ut *Elix.* *P. P.* *Eff.* *Absinth. simpl.* & *compos.* *Eff.* *Myrrh.* cum *Spir. vini Tartarisato*, vel, qvod melius, cum *Spir. Sal. amm. Succinato* parata. *Extractum Samb. Junip. Zedoar.* &c.

## §. 24.

Enumerata hæc alterantia cum variò modò misceri, si biq; invicem combinari possint, ita pro circumstantiarum ratione varià etiam formâ ægrotantibus exhibenda sunt.

De

*De alterantibus tamen fixis* est notandum, ne diutius, aut saltem ne in dosi nimia una vice usurpentur, sed interpolatis potius vicibus, ut illud, qvod absorbuerunt, à natura spontè cum aliis excrementis eliminetur. Cum non raro qvoq; contingat, qvod propinata talia fixiora, ac minus resolubilia ex texturæ mutatione adstringentia in corpore evadant, aut plus minus saturata circa primas vias nunc ventriculi, & intestinorum tunicæ villosæ, nunc plicis & cellulæ eorundem pertinacius inhæreant, maximè consultum erit, *blandè purgatia, primasq; vias abstergentia* subjungere. Efficimus hoc in primis *Alœ selecta*, aqua tantum simplici extracta, qvæ vel sola, vel cum *Tartareis* mixta & *Resina Scammon* roborata egregiam materiam subministrabit pro parandis pilulis minoribus in hoc casu exhibendis. Succedunt huic *Senna* & *Rhabarb.* in infuso propinanda, *Rad. Gialapp.* & ejus *resina*. Qvibus deniq; paulò fortiora interdum substituere licet, & qvidem, si materia adhuc viscidior occupaverit primas vias, qvalia sunt *Resina Scammon*. *Mercur. dulc.* *Rad. Helleb. nig.* ejusq; *Extractum*, *Extr. Colocynth.* Hæc inde etiam erunt proficia, qvod non solùm præter irritationem intestinorum, & ibi contentorum evacuationem, uterus per consensum nervorum etiam irritetur, sed & in massam sangvineam agant, ibiq; glutinosa dissolvant & colligefaciant; unde observatum sèpius, à tali adhibito purgante menses rediisse.

## §. 25.

Depuratâ sic massâ sangvineâ à particulis suis inutilibus, reliquum est, ut eidem motum rapidiorem & concitatiorem conciliemus, ut perruptis vasculorum uteri oculis exitum promtius inveniat. Optimè hoc præstant omnia *aromatica acria*, hisq; cognata alia de *Sale volat. oleoso participantia*,

*tia, ut Pulegium, Ruta, Salv. Rosmar. Cinam. Caryophyll.*  
*arom. & meretricularum solatium Sabina, Rad. Angel. Ze-*  
*doar. Galang. Crocus, Myrrha, Castor. omniaq; ex iisdem*  
*præparata, ut Essentia Croci, Cinam. Myrrhæ, Castor. cum*  
*Spir. Tart. vol. vel Spir. Sal. ammon. vinoſo parata; Eff.*  
*Camphoræ concentratior, Tinct. Bezoard. Succini, Mixt.*  
*Simpl. Ol. deſt. Sabin. Cinam. Caryoph. Angel. Succini, Junip.*  
*&c. Huc etiam pertinent omnia Salia urinosa volat.*  
*paulò ante tradita, tūm ſibi relictā, tūm oleofa redita, & ex*  
*his plura alia invicem mixta & composita. Consultum*  
*autem eſt, ut hæc propinentur ægris circa illa tempora men-*  
*fis, ubi ſangvis effluere conſuevit, ſpeciatim, ſi menses exper-*  
*ta fuerit ægra, tempus ordinarium ipsa indicare poterit: Si*  
*minus, novilunium aliquo modo eſt attendendum. Qvin*  
*& non incommode erit, imò ſæpius neceſſarium, præcipue*  
*in ſubjectis plethoricis, ſangvinis impetum versus inferi-*  
*ra magis provocare ſangvinis eſtimatione institutâ vel*  
*per venæ ſectionem, vel hujus vicarias cucurbitulas. Fieri*  
*hoc commode potest in partibus inferioribus, ubi pro cir-*  
*cumſtantiarum ratione vena modò in uno, modò in utroq;*  
*pede eſt ſecunda. Cucurbitulis verò ſcarificatis ſi uti pla-*  
*cebit, ſuris hæ applicari poſſunt.*

## §. 26.

Inquirendum deniq; nunc erit, qvomodo ille *mensium*  
*defectus* tolli queat, qvi ex *uteri* mala conformatioне exori-  
*ri* ſolet. Prima itaq; cura ſit, ut viarum uteri tam advehent-  
*tium, qvam emittentium angustia, quantum qvidem poſſi-*  
*bile, tollatur. Si itaq; tumor qvidam præter naruralis, e.g.*  
*vesicæ vel intestini inflammatio arterias ſangvinem utero*  
*adducentes comprimant, & hinc mensium fluxus cefſet, or-*  
*dinarium ille recursum obtinebit, ſi talis tumor, qvi peculi-*  
*arem medendi methodum reqvirit, fuerit sublatus. Qvod*  
*ſi ve-*

Si verò à fibris uteri nimiùm strictis , vel à particulis heterogeneis è massa sanguinea huc congestis tubuli sanguiferi coarctentur, aut planè obstruantur , opera impendenda venit, vel ut fibræ uteri constrictæ relaxentur , vel ut particulæ uteri vaſculis inhærentes , sanguinisq; egressum inhibentes removeantur. Ad hunc scopum obtinendum externa in subsidium sunt vocanda , qvæ vel toti inferiori corporis regioni , vel partibus genitalibus applicantur. Adeoq; conducunt hic maximè *Balnea* ex vegetabilibus emollientibus & sanguinem odorem exhalantibus parata , qvalia sunt *Herbae* qvinque emollientes dictæ, *Melissa*, *Artemis. Puleg. Chamæmel. Rosmar. Origan. Sabin. Salv. Baccæ Lauri, Junip. Rad. Alth. Lil. alb. Aristol. Bryon. Rub. Tinct.* &c. Ut verò eò melior subsequatur effectus, ante hujus ingressum commodum erit exhibere interna qvædam *volatilia*, & qvæ motum sanguinis reddunt fortiorē, qvalia supra sunt relata.

§. 27.

*Suffitus* & *vapores* hinc porrò convenient, qvæ particulis suis tenuissimis tubulorum oscula conniventia recludunt , obſtructiones incidendo & extenuando particulas crassas & viscidas tollunt. Hæc ſuffimenta modis variis, variisq; remediis instituuntur ; v. g. ex *Colocynthide*, *Sabina*, *Myrrha*, *Gum. ammon*. *Styrace*, & aliis *aromatibus*, qvæ prunis injicienda ſunt, ut ad uterum ſuffitus per tritorium aut tubulum uterinum derivari poſſit. Huc ſpectat *vapor* è *lixivio* *scoriarum reguli antimonii* ignitis ſilicibus affuso prove- niens , qvi dilatatis cruribus eſt excipiendus. Qvibus tamen vix postponendum eſt instrumentum *Glauberi* , qvod in *Furn. Phil. c. 88. p. 235.* describit , cuius beneficio *Salia volatilia*, imprimis *vapor* ex *Sale ammon. alcali fixi additio-* *ne excitatus* utero communicatur. In hujus verò defectu recipiatur phiola , cui de spiritu volatili aliquid ſit infuſum, & ore

ore phiolæ linteis mollibus circumducto , pudoris sinui applicetur , fundum verò phiolæ carbonibus carentibus admoveatur, qvo facto spiritus volatilis ascendens exoptatum edit effectum. Clausura deniq; uteri vaginæ, sive à primo ortu , sive ab ulcere aut vulnere inducta fuerit , ferro erit rese-randa, qvod ab operationibus *Chirurgicis* est expectandum.

## §. 28.

Promoto ita mensium fluxu, *Symptomata illius defectum* concomitantia spontè cessabunt. Præ cæteris tamen maximè est monendum, ne excretiones qvæcunq;, in primis verò sangvinis, à retentis mensibus ortæ statim fstantur, sed in ordinem redigantur ; natura enim coacta id , qvod sibi molestiam creat, ubi ubi potest, evacuare conatur. Sic cum vomitum cruentum tonsor qvidam fœminæ mensium obstruktione laboranti sisteret adstringentibus, & in primis opiatis, à vomitu qvidem liberata est misera , sed brevi post animam esflavit. Hic itaq; potius sangvis superfluus per Venæ sectionem in pede instituendam est imminuendus , ut reliquæ curationi postea locus sit relictus.

## §. 29.

Supereft, ut de *Diæta* tandem *mensum defectui* medente coronidis loco aliquid adjungamus. Versatur illa circa sex res non naturales dictas , medias inter statum sanitatis & ægritudinis , cum vel , ad hunc vel ad illum pro circumstantiarum varietate disponant. Primum locum inter hasten et aër, qvi eligendus est moderatè calidus & purus, vitandus verò est frigidus, crassus, & nebulosus. Succedunt huic *assumpta*, ubi victus non concedatur multus , sed mediocris ; interdicenda sunt multò magis crassa, cruda, viscida, dura & acida, qvalia sunt in primis pisces, ac carnes salitæ , vel fumò induratæ ; item qvæcunq; adstringentia , & fructus horæi.

Con-

Convenit aromatum usus & pleraq; aromatica. Panis selenius est benè fermentatus, & imprimis secalinus stomacho maximè amicus. Pro potu porrigenda est cerevisia defæcata, non recens, non acida; vinum quoq; bonæ notæ, imò interdū medicatū per infusionem appropriatorū vegetabilium factum. Nunquam negligendus est corporis motus, moderatus tamen ille sit, & potius ante, qvām post assumentum cibum instituatur. *Somnus* non sit nimius. Sedulò quoq; opera danda, ut viæ istæ, per quas quatuorvis digestio- num excrementa emittuntur, sint patulæ. *Veneris exercitium*, si honestè fieri poterit, non est omittendum, cum exinde spirituum & sanguinis motus maximè intendatur. Minimè deniq; indulgendum vehementioribus *animi affectibus*, v.g. tristitia, mœroribus, &c. Semper potius hilares sperent exoptatum adversæ valetudinis

FINE M.

Viro Clariss. Experientiss.

# DN. JOHANNI JUSTO BÖHMIO

cùm in Reg. Hafniens. Athenæo

## *Medicinae Doctor sollenniter pronunciaretur.*



Xorere Arctois, Böhmi, nove Phosphore, terris,  
Atq; salutiferâ pharmaca sparge manu:  
Totus Apollo patet; tibi tota Minerva ministrat,  
Et Medici faciles in tua vota Dii:

Unda

Unda favet , tellusq; favet , per Falstrica culta  
Germina mille tibi , qvæ famulentur , erunt.  
Nascitur una hodie circum tua tempora Laurus ,  
Centum alias Mortæ vis hebetata dabit.

OL. BORRICHUS.

In disputationem Inauguralem

## DE DEFECTU MENSIS UM MULIEBRIUM.

**D**eficiunt nobis menses , anniq; diesq; ,  
Ut bene tractetur nobilis arrha senis ,  
Scilicet Hippocratis Coi , pleno ore fatentis :  
*Longa ad discendum est ars sacra , Vita brevis.*  
Deficiunt menses , & sanguinis deficit ipse ,  
Hinc nequeunt fœtum progenerare Patres.  
Tu Matrum curas dispendia , Clare BohemI ,  
Purpureum & solidum flumen ab arte venit ;  
Qvis Patribus nobis , qui restituisse laboret  
Defectum vitæ & sanguinis , alter erit ?

*fundebat in Museo Dni Bohemi , insignis Medici  
amicis honoratissimi , jam ad honores Doct. capessendos  
fausto omne abiturientis , Nyctopia Falstrorum*

FRIDERICUS BRANDT ,  
Pastor & Præpositus.

